

379

377

383

373

388

368

428

328

478

278

Ende

Anfang

364

quis velit dicere, quod Maria Magdalena in principio conversionis suae in hanc domum venit, et lacrymis pedes Domini rigavit, et postea circa tempus passionis in Bethania, effudit unguentum super caput discubentis, et quod fuerit una eademque mulier. Quod ego magis credo esse.

De schola beatae Mariae Virginis, in qua literas didicit;
et an literas didicerit, resolvitur.

Surreximus ab oratione de predicta domo, et consequenter properantes ad alium quandam magnam domum venimus, de lapidibus quadris, sectis, et sculptis, quae annexa erat atrio templi dominici. Dicunt autem quod eadem domus fuerit schola beatae Virginis, in qua literas didicit, quando per parentes templi servitoribus praesentata fuit, divino mancipanda obsequio. Hanc domum cum admiratione contemplabamur, et dubium in nobis ortum est, utrum beata Virgo Maria literas ab aliquo homine didicerit, et quis Judaeus ejus magister fuerit. Cum dicat Sap. 7.: Omnia artifex docuit me (**140 A**) sapientiam. Dominus enim omnium dilexit eam, ideo est ipsa doctrix disciplinae ejus, et electrix operum illius Sap. 8. Ideo videtur, quod non fuerit ab homine instructa. Insuper Damm. dicit, quod beata Virgo a nullo illustrium vincitur. Sunt autem aliqui sancti, qui non ab homine, sed per revelationem Jesu Christi didicerunt, sicut St. Paulus ad Galat. 1 de se testatur. Sed et Salomon non ab homine, sed divinitus didicit sapientiam. Et caeteri apostoli omnes doctores orbis facti per inspiratam scientiam. Sanctus etiam Thomas de Aquino magis dicit se orando studuisse, quam legendo. Sic et S. Catharina de Senis instructa per Dominum Jesum libros scivit legere, et scripturas, et tamen nullius apicis nomen aut conditionem novit, nesciens distinguere ab a. b., vel b. a. c, ut videretur ejus instructio miraculosa. Sancta etiam Maria aegyptiaca in deserto novit scripturas per Domini revelationem. Ut quid ergo dilecte frater Evagator, ostende mihi scholam, in qua litteras beatissimam Virginem Mariam didicisse dicis, si a nullo illustrium vincitur quomodo ab homine instructa est? Cum alii per inspirationem notitiam

